SINDON ASBESTINA;
Pro servandis Cineribus
VIRI
Inter Cives primarii & inter Mercatores
non postremi
DOMINI

ANDREÆ
ZERNECKE,

Die 11. Julii priematura morte, sed beatissima,
oculis proborum omnium cum ingenti
luctu erepti
mox tumulati,
Et concione funebri d. 16. Ejusdem Mensis
in frequenti Auditorio condecorati
Manu Familiæ ZERNECKO-NOGGIO-
ZOEBNERIANÆ
devinctissimi
M. MARTINI Böhm.
Contexta.

THORUNII,
Impressit JOHANNES LUD. NICOLAI.
MDCCX.

Ad Amplissimum

DN. JOHANNEM NOGGIUM,

Reipubl. Thor. Consulem & Camer. Generi sui optimi præmaturum obitum lugentem.

EUsebies decus eximium, lectissime Noggi,
Deposito luctu gaudia læta cape.
Namque Gener non amissus, præmissus at ille
Exuerat tantum corporis exuvias.
Ætherios inter Proceres sanctumque Senatum
Ambulat, æternis perfruiturque bonis:
Non vitam sortemque hominum redivivus anhelat,
Ipsum quandoquidem vita beata manet.
Post hæc Omnipotens, qui miscet tristia lætis
Et res alternis temperat ipse modis,
Te quoque respiciet meliori sidere natum,
Sanabit vulnus dextera dia tuum.
Cum Vidua Natos recreabit fonte salutis,
Quæ fluit e cœli montibus assiduis.

Pie defunctus alloquitur tristissimam *Dn. Conjugem, Dn. Sororem & mœstissimos IV. Fratres,* Viros erectæ, candidæque mentis. Et bigam Filiorum.

OCyus, quam par, mea fata currunt,
Vita me linquit, moriorque primis
Conjugi tædis; veluti caducus
Flos ego carpor.
Muto cum coelo fragilem lubenter
Carnis humorem: mea vita Christus,
Sat mihi vixi, quoniam decore
vita peracta est.
Eximor duris variisque vinclis
Me quibus vinxit miserum potestas
Seculi tristis. DEUS ipse tutum
usque fovebit.

Ri-

Rideo belli furias malignas,
Rideo pestis maculas minasque,
Rideo vulgi dubii furores,
fataq; mundi.
Me DEUS summo recreat favore,
In sinu Patris recubo benigni,
Hic mihi pulchrum est habitare læto
tempus in omne.
Lacrymas ergo cohibete vestras
O mei! Vobis bene cuncta cedant.
Filios vestris ego trado curis
Atq; favori.
Gratiam spirent pia cœpta divam,
Sint rosæ vestris pedibus subactæ,
Flere nolitis mea busta mœsti
pectore toto.
Conjugi charæ, Socero, Natisque,
Fratribus lectis, Viduæ Sorori.
Hujus & Nato peregre moranti
Ultima dico.
Verba. Vos omnes tueatur alma
Dextra, quæ cædit reficitque, Jovæ,
Nullus in vestris domibus potenter
regnet amaror,
Iunxerat nostros animos fidelis
Pax; amor constans redamatus inter
Vos & agnatos vigeat perenni
semper odore.
Et voluntas cum Domini jubebit
Esse Vos mecum, sit iter secundum,
Transferat vestras animas in alti
gaudia cœli.

Affi-

AFfinis, dilecte DEO, perchare Parenti
Noſtro, qui luget totus tua funera mœſtus,
Atque Soror conjuxque tuos deplorat ademptos
Conjugii caſti, chari, gratique favores,
Quo tendis? cur nos linquis? cur gaudia tollis,
Quæ nobis varii animi peperere calores.
Non aliter ſane me turbas, ſcribere verſus
Quam ſi turbatos vellem, me turbat inique
Mors tua, turbatam mihi reddit mors tua mentem:
Sed quid me turbo? nil hæc turbatio prodeſt.
Quodſi Te centum poſſem revocare querelis.
Non revoco. Fruſtra tantum turbo tua buſta.
Theſauros mundi totius ſi Tibi poſſem
Offerre, & donis pretioſis fallere mortem,
Efficerem nihil; aſpernis jam climata mundi,
Et nunquam ad nos vel per moneta redibis.
Eſt potior Tibi cura poli, Te ſancta caterva
Angelici cœtus recreat, Te viſio Jovæ
Delectat, Tu mille capis lætiſſima cœli
Gaudia. Nos miſeros graviter vexant mala fata,
Et turbant hinc invideo minime Tibi ſortem
Æternam. Cantes in cœlo cantica clara.
At Tu, Sancte DEUS, ſanato vulnera noſtra
Nos *Senior clarus* ſoletur voce benigna
Verbi divini; quo ferre queamus in orbe.
Quæ DEUS immittit, cum tranſit gloria mundi.

In memorium Pie defuncti Dn. Affinis mœſtiſſimo
animo & calamo apposuit
JOHANNES NOGGE, Jun.

EPITAPHIUM.

HOc jacet in tumulo vero candore coruſcus
Vir, cui pura fides relligioque fuit.
Qui nullum læſit, niſi qui ſunt ſangvine juncti,
Morte ſua, magno gratus ubique DEO.
Hinc in cœleſti reſidet nunc arce beatus
Et reſonat ſanctos corde canente ſonos.